

verborum; habet autem summaria præceptorum tantum ad marginem, exempla vero in ipsa libri pagina cum titulo cujusque articuli. Editio tandem Redonensis an. 1324 nullum habet omnino summarium, sed tantum titulum cujusque articuli cum exemplo metrica edito. Sed initio sic habet: Prologus libelli De ornamentis verborum. Ex quibus omnibus perspectis hujus libri editionem quasi lectori futuram commodiorem duximus, ut sequitur, exhibendam. Porro a titulo Gemmeticensi præfixo potest inferri Marbodum hunc libellum composuisse pro discipulis suis, cum adhuc Andegavi litteras humaniores et rhetoricam doceret, et diu antequam ad sedem Redonensem fuisset assumptus.

# MARBODUS

DISCIPULO SUO.

## DE ORNAMENTIS VERBORUM.

### PROLOGUS LIBELLI.

Versificato quoque tibi tradere curo  
 Scemata verborum studio celebrata priorum [f. priorum].  
 Quæ sunt in prosa quæque non minimum speciosa  
 Si potes his veluti gemmis et floribus uti,  
 Fiet opus clarum velut ortus [f. hortus] deliciarum,  
 Quo diversorum fragrantia spirat odorom,  
 Nec deerit fructus florum de germine ductus:  
 Mens auditoris persuasa nitore coloris.  
 Sed si forte rudis vix dum vulgaria cedis;  
 Cum sibi res multas petat, hoc et [Andeg. hæc et] quæque facultas?  
 Prima prius disce, fias ut idoneus hisce,  
 Parvis imbutus [And. instructus] temptabis grandia tutus.  
 Exemplis igitur quia sic bene res aperitur,  
 Singula monstravi, per singula particulavi (22)  
 Nomina cum glosis, quibus hæc dignoscere possis.

§ I. REPETITIO. — *Repetitio est, cum continentur (25), A*  
*atque eodem verbo in rebus similibus et diversis*  
*principia sumuntur; hoc modo:*

Tu mihi rex, mihi lex, mihi lux, mihi dux, mihi  
 [vindex,

Te colo, te laudo, te glorificans tibi plaudo †.

Femina justitiam produxit, femina culpam ‡.

Femina vitalem dedit ortum, femina mortem.

Femina peccavit, peccatum femina lavit.

1589 § II. CONVERSIO. — *Conversio est, per quam,*  
*non ut ante, primum repetimus verbum, sed ad*  
*postremum † revertimur; hoc modo:*

Tu solus Deus es, bonus es, pius es, sapiens es,

Qui terram portas, mare portas, sidera portas,

Quum mare, terra, polus, nequeunt portare vel

[aer.

§ III. COMPLEXIO. — *Complexio est, quæ utramque*  
*complectitur exornationem, et hanc quam modo*  
*exposuimus, ut et revertamus idem verbum sæpius*  
*et crebro, et ad idem postremum revertamur; hoc*  
*modo:*

Qui sunt qui pugnant audaciter? Andegavenses.

Qui sunt qui superant inimicos? Andegavenses.

Qui sunt qui parcent superatis? Andegavenses,

Egregios igitur livor noxet Andegavenses.

§ IV. TRADUCTIO. — *Traductio est, quæ facit ut*  
*cum idem verbum crebrius sonatur, non modo non*  
*offendat animum, verum et concinniore reddat*  
*orationem; hoc modo:*

Si nihil in vita jucundius est tibi vita,

Indecorem vitam perages virtute relicta.

B Cur illum curas, qui multas dat tibi curas?

Semper amare velim, si quid nihil insit amari †.

(22) Sic etiam Becc.; sed ed. Redonen. habet prætitulavi, ut et Andeg.

(23) Becc., continentur ab uno eodemque. Andeg., continentur ab uno usque eodem.

† In codice ms. bibliothecæ urbis Turonicæ n° 164 antiq. et 417 mod. post hos binos versiculos leguntur sequentes:

† Suscipe dulcis ave quo nomen vertitur Evæ,  
 Scala poli fies, Virgo Deum pariens.  
 Christi præco pia gaudet veniente Maria,  
 Congerat alvus eum, sentit adesse Deum.  
 Mundi peccato Deus infans vagit in arcto  
 Quo per eum redess. amplo poli teneas.

‡ Hic desunt duo versus, qui sunt in ms. Beccensi. † Becc., continentur. † Hic articulus desit in Andegavensi, habetur autem in Beccensi et in edit. Red. † Sic Becc. sed ed. Red., sed tadet mortis amorem

§ V. CONTENTIO. — *Contentio est, cum ex contrariis rebus oratio conficitur; hoc pacto:*

In luctu rides, inter convivia luges.

Mane petis lectum, dimittis vespera lectum.

Pax est, arma tremis, bellum pro pace precaris.

Cum debes clamare, taces: cum parcere, clamas.

Urbem rure cupis, laudas bona ruris in urbe.

§ VI. EXCLAMATIO. — *Exclamatio est, quæ conficitur significationem doloris, vel indignationis alicujus, per hominis, vel urbis, vel rei cuiuspiam compellationem; hoc modo:*

O Asiæ flos Troja potens! o gloria quæ nunc!

In cineres collapsa jacea. Ubi regia proles,

Ex Hecuba Priami veniens a semine<sup>6</sup> divum?

1590 O Hector, quondam Trojum fortissime

[frustra,

Conjugis in facie, defectorque<sup>7</sup> parentum,

Hostiles primo fœdasti sanguine currus!

Hanc adeo patriæ cladem, tua, perfide pastor,

Navibus inexit diis exsecrata voluptas!

§ VII. RATIOCINATIO. — *Ratiocinatio est, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, quare quidquid dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscujusque propositionis explanationem.*

Dives avarus eger. Per quid? quia cum petit usus,

Tangere parta timet. Cur? ne minuatur acervus<sup>8</sup>

Cur metuit minui? quia mavult crescere. Quare?

Non esset vitium, si non ratione careret.

§ VIII. SENTENTIA. — *Sententia est oratio sumpta quæ, aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit; hoc modo:*

Cui satis est quod habet, satis illum constat habere.

Cui non est quod habet satis, illum constat egere

Ergo facit virtus, non copia sufficientem.

Et non paupertas, sed mentis hiatus egentem.

§ IX. CONTRARIUM. — *Contrarium est, quod ex diversis duabus rebus, alteram breviter et facile confirmat; hoc modo:*

Qui sibi non parcit, mihi vel tibi quomodo parcat?

Qui sua divulgat probra, credis quod tua celet?

Jam metues<sup>10</sup> ægrum quem sanum despiciebas?

An soli cedes quem cum socio superabas?

§ X. MEMBRUM. — *Membrum orationis, est oratio breviter<sup>11</sup> absoluta, sine totius sententiæ demonstratione, quæ denuo de alio membro orationis excipitur; hoc modo:*

<sup>12</sup> Et me lædebas, et multum proficiebas,

Et nostros super his inimicos lætificabas.

§ XI. ARTICULOS. — *Articulus dicitur, cum singula verba intervallis distinguuntur intercisa<sup>13</sup> oratione; hoc modo:*

Armis, classe, cibo dives mala castra petisti;

Solus, inermis, inops, inglorius ecce redisti.

1591 Ferro, peste, fame comptus es<sup>14</sup>, et peristi.

<sup>6</sup> Andegav. et Red., sanguine, <sup>7</sup> Becc., defectorum, rectius Andegav. et Red., defunctorumque <sup>8</sup> Becc., acutus <sup>9</sup> In Andegavensi deest exemplum hujus præcepti et præceptum sequentis exempli; utraque autem sunt in Beccensi, sicut in Gemmetirnsi. <sup>10</sup> And., Becc.: et Red., An metues. <sup>11</sup> Andeg. et Becc., res breviter. <sup>12</sup> Andeg. et Becc., At illi tibi, quod rectius<sup>13</sup> Andeg., et Becc., causa. <sup>14</sup> Andeg. et Becc., consumptus es. <sup>15</sup> Andeg. et Becc., efferuntur. <sup>16</sup> And., faciet. <sup>17</sup> And., promis. <sup>18</sup> Beccensis, Miracrimium. Andeg., Miracoinium. <sup>19</sup> Hic versus additus est ex Andeg. et Becc. et Red. <sup>20</sup> Sequentia desunt in Andeg.; exstant autem in hoc Gemmet., Becc. et Redon. edit. <sup>21</sup> f. profunda. <sup>22</sup> Becc. et Red., forte. <sup>23</sup> Becc., concessum <sup>24</sup> Becc., hunc.

§ XII. SIMILITER CADENS. — *Similiter cadens est, cum in eulem constructione duo vel plura verba similiter iisdem casibus construuntur<sup>15</sup>; hoc modo:*

Fac tibi fortunam, festina frangere lunam,

Et contra fatum faciat<sup>16</sup> te cura beatum.

§ XIII. SIMILITER DESINENS. — *Similiter desinens est, cum, tametsi casus non insunt, verbi tamen similes sunt exitus; hoc pacto:*

Censu ditari, virtute petis vacuari.

Sed nec dives eris; donec virtute carebis.

Molliter affris, fallaciter insidiaris.

Inquiris blande, prodie<sup>17</sup> commissa nefando.

§ XIV. COMMISTUM. — *Commistum est, in quo duo superposita conveniunt, hoc modo:*

Criminis est formam componere, spernere famam,  
Scortum sectari, miracimum<sup>18</sup> vocitari.

B Hic qui magnanimum se vult fortemque videri,

Corde pavet leporis. Cum territet ore leonis,

<sup>19</sup> Sicut dama fugit, quasi bos ad vulnera mugit.

§ XV. ADNOMINATIO. — *Adnominatio est, cum ad idem verbum, vel nomen acceditur commutatione, vel additione unius litteræ, vel litterarum, aut ad res dissimiles similia verba accommodantur; hoc modo:*

Curia curarum genitrix, nutrixque malarum,

Injustis justos, inhonestis æquat honestos.

Alcide virtus, ullo superata labore,

Indomitas aditura domos, infanda profunda<sup>21</sup>,

Deformes formas non formidavit, et atra

Atria cerbereo sprevit metuenda latratu.

1592 § XVI. SUBJECTIO. — *Subjectio est, cum interrogamus adversarios, aut quærimus ipsi a nobis quid ab ipsis, aut contra nos dici possit; deinde subjicimus id quod oporteat dici, vel non oporteat, vel nobis adjumento futurum est, vel cōfuturum; hoc modo:*

Quæ tibi causa fugæ? nunquid flagra? nulla dabantur.

An labor? aut ludo somnoque madere solebas.

Nunquid ferinæ<sup>22</sup> fames? tu fercula percipiebas.

Num frigida? vestes mutabas luce profesta.

Ergo flagitii te conscia mens agitabat.

Quidnam deprensus facerem? fugeremne? sed [hostis

Vectus equo peditem caperet. Veniamne precarer?

At crudelis erat. Pugnarem? fortior ille.

Promissis igitur falli restabat avarum.

§ XVII. GRADATIO. — *Gradatio est, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superioris ascensum<sup>23</sup> est; hoc modo:*

Hic quæcunque videt cupit, et quæcunque cupivit Allicit. Allectam vitiat, prodit vitiatam.

Ni virtus laudem, laus invidiam peperisset

Androgeo, sospes ad Gnoissia regna redisset.

Sed virtus laudem, laus invidiam generavit;

Invidiæ telis pars hæc<sup>24</sup> superata necavit.

- § XVIII. DIFFINITIO. — *Diffinitio est, quæ rei aliqujus propriis amplectitur potestates breviter et absolute; hoc modo:*  
 Prodigus ut largo, sio parcus distat avaro,  
 Prodigus est, animi vitio retinenda profundens;  
 Largus, qui sumptum facit ex ratione libenter.  
 Parcus, qui retinet quicquid non postulat usus;  
 Qui retinet cupide quod res deposcit, avarus.
- § XIX. TRANSITIO. — *Transitio est; quæ cum ostendit breviter quid dictum sit, proponit breviter quid consequatur; hoc modo:*  
 Audistis qualem se præstitit iste parenti;  
 Nunc qualis fuit ipse parens audire vicissim,  
 Ut dignus neo prole queat, neo patre videri.
- 1593 § XX CORRECTIO. — *Correctio est quæ tollit id quod dictum est, et pro eo id quod magis videtur idoneum reponit; hoc modo:*  
 Postquam vidit amans, imo veracius amens,  
 Hanc attrectari, delinirique volentem.  
 Ceu lupus, aut potius catulis orbata leona,  
 Involat os hominis; rapit illam, diripit illam;  
 Scilicet oblitus decoris, quo imo decoris.
- § XXI OCCUPATIO. — *Occupatio est, cum dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id quod maxime tunc dicimus; hoc modo:*  
 Quid referam? quantis tua sit maculata juvenus  
 Flagitiis? quoties sis publica verbera passus?  
 Prætereo cædes, perjuriam, furta, rapinas.  
 Ad finem propero. Quisnam<sup>25</sup>, si cuncta referre,  
 Aut libare velit, lassandas præbeat aures?
- § XXII. DISJUNCTUM. — *Disjunctum est, cum eorum de quibus dicimus vel utrumque, vel unumquodque, certo concluditur verbo; hoc pacto:*  
 Romanus populus Gallos in Cæsare vicit.  
 Sub duce Pompeio Mithridatica regna subegit.  
 Hannibalis vires Scipionis nomine fregit.  
 Aut morbo species cadit, aut ætate fatiscit.
- § XXIII. CONJUNCTUM. — *Conjunctum est, cum interpolatione verbi, et superiores partes orationis comprehenduntur, et inferiores; hoc modo:*  
 Aut ætas formæ decus atterit, aut valetudo.
- § XXIV. ADJUNCTUM. — *Adjunctum est, cum verbum quo res comprehendimus, non interponimus, sed aut primum, aut postremum collocamus; hoc modo:*  
 Marbo, vel senio formæ decus evacuatur,  
 Extingunt speciem seu morbus, sive senectus<sup>26</sup>.
- 1594 § XXV. CONDUPPLICATIO. — *Conduplicatio est, cum ratione\* amplificationis, aut miserationis unius<sup>27</sup>, aut plurium verborum iteratio fit; hoc modo:*  
 Tunc patrem gladio crudelis nota necasti?  
 Tunc patrem? pro quo fuerat tibi mors subeunda.  
 Num refugis lucem, sex et contagio vitæ?  
 Num refugis? Nunquid si iudex parcere vellet,  
 Non tibi deberes manibus consciscere mortem?
- § XXVI. COMMUTATIO. — *Commutatio est, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ex transjectione ita*
- effertur, ut a priori posterior contraria priori proficiatur; hoc modo:*  
 Nulla tacenda loqui, vel nulla loquenda tacere,  
 Qui sapiens jubeat, cum supra nos sit utrumque?  
 Quisve jubens sapiat, cum quod jubet, hoc nequit  
 [ipse?]
- § XXVII. DUBITATIO. — *Dubitatio est, cum quærens videtur orator de duobus utrum potius, aut quod de pluribus potissimum dicat; hoc modo:*  
 Tu mihi te confers homo, quo te nomine dicam?  
 Hæsito. Si dicam spurcissime, non erit æquum.  
 Siscelus appellem, minus est. Deformior an sis  
 Nequior ignoro. Nec hoc mihi, nec placet illud.
- § XXVIII. DISSOLUTUM. — *Dissolutum est, quod conversationibus verborum e medio sublati, separatis partibus effertur; hoc modo:*  
 Dilige cognatos; charos venerare parentes  
 Subditus esto Deo; mandatis legis obedi.
- § XXIX. PRÆCISIO. — *Præcisio est, cum motus<sup>28</sup> quibusdam, quod cœptum est dicere, relinquitur audientium iudicio; hoc pacto:*  
 Te non est æquum certamen ponere mecum,  
 Propterea quod me populus... sed dicere nolo,  
 Ne cui, magna loquens, videar spirare superbum;  
 Te vero plagis, ignominiaque notavit.  
 Hæc tu nunc<sup>29</sup> audes? qui nuper in æde sacra,  
 Solemnique die... sed præstat parcere verbis,  
 1595 Ne te digna ferens, offendam iudicis aures.
- § XXX. CONCLUSIO. — *Conclusio est, quæ brevi argumentatione, ex his quæ jam dicta sunt, aut facta, confestim necessario consequitur; hoc pacto:*  
 Si Trojam non posse capi responsa ferebant  
 Absque Philoctete, quibus occidit ipse sagittis?  
 Hæque nihil Trojæ Paridis necesse plus nocuerunt:  
 Nimirum Paridis mors est eversio Trojæ.

## EPILOGUS.

Hæc tibi de multis, ne multa forent onerosa,  
 1596 Primum pauca dedi, quasi ferula deliciosa,  
 Singula distingens, facili brevitate notavi.  
 Quæ quo plana forent, magis hæc placitura  
 [putavi.  
 Si gustata placent, et adhuc gustanda petuntur,  
 Cætera quæ testant, me dispensante dabuntur.  
 Sed prius hæc debes studio versare frequenti,  
 Ut velut his vacuæ committas cætera menti.  
 Interea tanquam æspeculum, formamque postæ,  
 Verum naturas qui scribere vultis habete,  
 Cujus ad exemplar, veluti qui pingere discit.  
 Aptet opus primum, quisquis bene fingere gliscit.  
 Ars a natura, ratione vocante<sup>30</sup>, profecta,  
 Principii formam proprii retinere<sup>31</sup> laborat.  
 Ergo qui laudem sibi vult scribendo parare,  
 Sexus, ætates, affectus, conditiones<sup>32</sup>,  
 Sicut sunt in re<sup>33</sup>, studeat distincta referre.  
 Hæc spernens Baius<sup>34</sup>, hæc servans fiet Homerus.

<sup>25</sup> Becc., Red. Quis enim. <sup>26</sup> Becc., juvenus, sed mendosa. <sup>27</sup> Becc., Amplificari, aut miseratione ejusdem unius, sed mendose. <sup>28</sup> Becc., melius dictis, <sup>29</sup> Becc., nec. <sup>30</sup> Red., cicuti. <sup>31</sup> Becc., servate, <sup>32</sup> Becc., conditionis. <sup>33</sup> Becc., sicut sunt jura. <sup>34</sup> Becc., Bavus, Red. Bamus.